

Leges et Statuta Academiae Rostochiensis : Anno MDCC[LIII] die [10. Febr.]

[S.l.], [1753]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791220788>

Druck Freier  Zugang



Leges etc
Academiae Rostochiensis

Universitäts-Archiv
Rostock, Sign. ~~RIA 4~~

RIA 4

Vol. — 47.^{1-69.}

LEGES
ET
STATUTA
ACADEMIÆ
ROSTOCHIENSIS.



I.
Letas precibus, lectione S. Bibliorum, & omni
DEI cultu publico pariter atque privato exercenda;
Fides Catholica, S. Codice, Symbolis cum Oecume-
nicis, tum nostræ Evangelico-Lutheranæ Ecclesiæ
propriis, aliisque piis Ecclesiasticis Scriptis publicis
comprehensa, pie amplectenda.

II.
Nomen DEI scandalis, perjuriis, execrationibus, blasphemis, jocis
& sermonibus Epicureis, Christianum dedecentibus, non profanandum;
atque ideo nec *Vadimonium* seu *Arrestum*, sine Rectoris expresso permisso,
deferendum; sed in hoc fides Magistratui data strictim servanda.

III.
Sabbathum sanctificandum, audiendæ conciones, sanctisque operibus
vacandum. Ab omnibus negotiis, quibus profanari dies Dominicus possit,
in sacra cumprimis Æde, abstinendum, & indecoræ ibi confabulationes
ac deambulationes sedulo cavendæ, unâ cum hibernis concursitationibus
ad perlustrandos eos, qui è templis excedunt. Quin & famuli, ne per
eos Sabbathum profanetur, ab iis, quibus serviunt, adstringendi sunt ac
coercendi. Quæ omnia serio servari volumus.

IV.
Magistratui Academico, Parentibus, Præceptoribus, Verbi divini Mi-
nistris, (ex quibus unusquisque certum sibi Confessionarium eligat, &
admonitus Rectori indicet) subjectio, obedientia, gratitudo, reverentia
debita præstanda. Legibus, Edictis & Programmatibus publicis, quid
sive faciendum sive omittendum præscribentibus, obtemperandum. Ipsa
Edicta in Publica Tabula reverenter habenda, & nullo modo vel violanda
vel refigenda. Igitur vi Edictorum:

(1) Inscriptio in Matriculam Universitatis intra octiduum, apud Recto-
rem, ab omnibus Academia Civibus futuris sive petenda, sive, si
jam ante peracta sit, docenda, ut nemini vel Collegia frequentare,
vel Professorum & Doctorum hospitio uti liceat, nisi in Matriculam
scriptis. Non autem intra annum proximum, extra fonticas cau-
sas si fuerit, nec sine studiorum specimine, si ullo modo id fieri pos-
sit, à Studiosis discedendum.

(2) In Studia diligenter incumbendum, & discendum ante, quod post-
modum docendum.

(3) Omnibus



- (3) Omnibus exagitationibus tam advenarum, quam indigenarum, omnino abstinendum: Imperium in Commilitiones non sumendum, nec male sumentibus parendum: sed æqualiter ab omnibus & singulis Rector & Senatus Academiae velut legitimus Magistratus agnoscendus. De Cætero Studiosis inter sese ex æquo & decoro agendum.
- (4) Citato in iudicium comparendum, & sententiæ parendum.

V.

A cædibus, & Commilitonum pariter ac aliorum quorumcunque invasione per manum, baculum, gladium, aliudve instrumentum, itemque vulnerationibus, provocationibus, duellis, eorumque ministeriis, nocturnis discursitationibus, insultibus in vigiles, boatibus, injuriis, vi, fraude, seditiosis congressibus atque tumultibus, ædium & fenestrarum oppugnationibus omnino abstinendum. Præterea quoque:

- (1) Controversia inter Studiosum & Studiosum orta ad Magistratum Academicum deferenda.
- (2) Bombardæ, noctu cumprimis, in Civitate nequaquam displodendæ, ne sub solennitatis quidem prætextu.
- (3) Gladium famulo suo nullus, nisi ejus rei, pro Status, Gradus aut officii ratione, privilegium sit nactus, accingito.

VI.

Occasiones libidinum & intemperantiæ, morum sermonisque spurcitiæ, impiæ cantilenæ, Cauponarum & Oenopoliorum frequentatio, helluatio, luxus vestium, irruptio non invitatorum in nuptias, excitatio tumultus, larvatæ discursitationes & saltationes, promiscua Chororum Musicorum usurpatio, buccinæ cursoriæ adhibitio, Epularum Schoristicarum & Symposiorum Nationalium, atque Circularium instaurationis, omnis denique petulantia, velut Christiano ac Cive Academico indigna, procul habenda. Ex adverso omnes singulique honestatis atque decori Studiosos se exhibeant, ideoque nec togis domesticis induti, multominus herbæ nicotianæ fumum attrahentes in clara luce in plateis forisque publicis conspici se præbeant.

VII.

A defraudationibus quibuscunque cavendum. Creditoribus mercium tempestive; Hospitibus vero, pro convictu singulis mensibus, & pro locatione museorum & lectorum quolibet semestri, (nisi aliter convenierit) satisfaciendum. Doctores tandem constituto collegiis honorario nequaquam defraudandi.

VIII.

Veritas & simplicitas in omnibus doctrinæ & vitæ partibus amplectenda. Mendaciis, sophismatibus, calumniis, falso imputatis criminibus, famosis libellis non scribendis solum, sed & describendis aut divulgandis, abstinendum, nullius innocentis fama lædenda, Legibus nulla fraus facienda.

IX.

Affectus & cupiditates dominantes, antecellentia inprimis, opum & vindictæ, quæ fontes sunt omnium externorum scelerum, avaritia item, ceteræque animorum pestes reprimendæ & compescendæ. Quin potius partes officii ab omnibus fideliter obeundæ, ac decorum ordinis ubique servandum.

X.

Omnes tandem vitiosæ inclinationes, & ceteræ voluptates supra non descriptæ, securitas in prosperis, dubitationes autem & trepidationes in ærumnis, quantum fieri potest, velut à Christianis, coercendæ: mores denique ad normam Legum *Decalogi* omni studio dirigendi.

Quando.

QVandoquidem ergo in Magistratus Academici placitis est, quod non nisi DEO placentes, & bonos, secundum Legum harum præscriptum, habere velit Cives, idcirco.

PRÆMIA virtuti debita obedientibus promittimus, uti sedulis quoque omnia officiorum genera, sublevationem, promotionem, commendationem pollicemur.

POENAS refragantibus pro ratione delicti decernimus: Sicut & notoriam desidiam, luxuriam, Studiosisque indignam vitam, vel Parentibus, Curatoribus & Patronis pro re nata significaturi, vel debitis aliis modis vindicaturi sumus. Et ut graviores quosdam casus exprimamus:

(1) Transgressoribus atrocioribus *Primæ Tabulæ*, perjuris inprimis, & blasphemis; Delinquentibus item circa *Secundam Tabulam*, quoad Leges de Collegiis nationalibus prohibitis, omnibusque adeo futuris Schoristis, Studiosos recens adventantes exagitantibus, ære emungentibus, & quocunque modo indecore tractantibus, item Edicta publica malitiose in Tabula violantibus, & Libellorum famosorum autoribus, RELEGATIONEM IN PERPETUUM AD INFAMIAM USQUE; Omnium vero illorum Coadjutoribus, similiter & ad Citationem Rectoris publicam, una vice factam: privatam autem secundum vel tertium iteratam, non comparentibus, Arresti violatoribus, duellantibus, & ad duella provocationis servitium præstantibus, noctu globum, vel pulverem tantum pyrium ejaculantibus, (quod si quis die fecerit, bombardam privandus, & præterea juste multandus,) in domibus nuptialibus, Collegiis, Templis, aliisque locis publicis tumultus excitantibus, & post fidem datam ante debitorum solutionem hinc excedentibus, RELEGATIONEM, pro gravitate facti, AD CERTOS ANNOS DETERMINANDAM, decernimus, hac lege atque omine, ut PRIMÆ CLASSIS Relegationes per typis impressa & in Patriam ac ad Patronos missa exemplaria suos nanciscantur effectus. Expresse etiam sequens Statutum volumus h. l. repetitum esse, quod sedulo semper observabitur: *Qui Commilitonem præparatus baculo, flagello, vel gladio, ex quacunque causa invadit, hunc publice relegabimus; qui vero post specialiter factam Rectoris inhibitionem tale quid ausus est, ejus relegationem publicam typis exprimi curabimus.*

(2) Cæteris Profanatoribus Nominis DEI, Concionum & Sabbathi contemtoribus, Inscriptionem ultra octiduum differentibus, Rectori & Professoribus debitam, inprimis ubi citantur, obedientiam non præstantibus, prohibitorum actuum approbatoribus, Libellorum famosorum descriptoribus & divulgatoribus, noctu discursitantibus & boantibus, larvali habitu, sive in plateis sive in domibus, ubi nuptiæ instituuntur, incedentibus, omni denique petulantia extra loca Sacra & publica admiffa, pro qualitate facti, CARCEREM decernimus.

DEUS, qui est DEUS fortis Zelota, unicuique secundum opera sua retribuet, Pietatem quidem infinita benignitate compensaturus: Peccata autem & in præsentem vitam & futuram vindicaturus.

FORMULA

FORMULA RECEPTIONIS.

EGO N. JURO & promitto quod Vobis
Domino Rectori Academiae Rostochiensis, & vestris
in hoc officio Successoribus obedire velim in licitis &
honestis.

Et quod velim observare Statuta, mihi & meo ordini
praescripta, & in posterum per Academiam statuenda, & pro-
curare ac promovere bonum Academiae, quantum possum,
& quantum scio, AD QVEMCUNQUE STATUM PER-
VENERO.

Et, si propter delictum per me commissum, aut pro-
pter inobedientiam à Rectore vel Concilio Academiae mihi
mandatum fuerit, ut me poenae certae subjiciam, aut intra
certum diem ex hac urbe & Academia discedam, & ante ter-
minum mihi praefixum non revertar, illi mandato absque
contumacia parebo, nisi super decreto illo, & termino mihi
praefixo, per Concilium, sive per Rectorem, mecum fue-
rit dispensatum.

Nec etiam hinc discedam, nisi legitime satisfecerim
Creditoribus & praesertim Praeceptoribus meis, aut eorum
expressam obtinuerim voluntatem. Secus si fecerim, pro Ar-
resti violatore haberi volo, eo effectu, ut propter nexus quibus
durante curriculo academico hic implicabor, ad forum hujus
Academiae etiam per citationes edictales trahi ac propter con-
tumaciam poenis affici queam solitis.

SIC ME DEUS ADJUVET!


Anno MDCC LIII die 10. Febr.
Rectore Academiae Magnificentissimo Serenissimo Principe ac Do-
mino Domino F. R. 1525 R. 100. Ducis de Principe Hereditario Allegapoliti-
no, Rostoch.


Nomen suum Academiae huic Rostochiensi dedit & inscriptus est,
Magistratui fidem vitamque legibus hisce convenientem formula expressa
promittens

Dn. *Henricus Michael Hartmann, Goldberga Allega-*
polit.

Id quod hac scheda testatur
modernus **RECTOR** *Prorector*

Hermannus Becker
LL. G. et Instit. P. P. O. Senat.






IV. Qui cantitantes vel vociferantes per plateas vagantur, vel in diuerforiis publicis, immo & in tricliniis priuatis aera concentibus implent, prima quidem vice noxam octo dierum carcere, & commensalis communis insuper unius mensis carentia, luent. Quod si post hanc correctionem incorrigibiles se prodant, consilio abeundi, necessitas emigrandi eis imponetur.

V. Eidem poenae obnoxio cogunt, vel per ambages ad conuiuia veteranis parandum, quo aduentur, sed prauis quoque sodalitatibus, qui sumtu nouitii epulati sunt, buntur, iis, qui mensa communi ab isto beneficio excludendis, inebriationes & tande oriundacacius impediuntur, abhinc pl

VI. Poenae legum tractata a Rectore & Concilio nec mino remittendae, sed ad tenore executioni mandandae erunt.

VII. Nocturnos strepitibus incolarum vel personae & clamores inconditos vel hibuerunt: ita earum violat securitatis nocturnae & trans custodiam militari tradentur. Rector Academiae vel de e



acade-